



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. vj. Præmissa demonstrationis in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Disp. V. Quæst. vnic. de Demonstratione. 83

conclusionis, quando scilicet nobis antea notum est effectum esse, & inde inferimus, dari talem causam, ex qua talis effectus provenit: v. g. ex eo quod dies est, arguimus præsentiam solis. Neque dicas, tunc peti principium, cum à posteriori recurrimus ad aliquid prius; hoc enim verum tantum est, quando posterius est æquè ignotum ac prius: nos autem supponimus, effectum esse notiorē causā, saltem quoad nos. Secundò, quando medium non est effectus prædicati conclusionis, sed signum, & vocari solet demonstratio à signo. Tertiò, quando medium est aliquid concomitanter se habens, neque prius, neque posterius, ut cum vna relatio mutua demonstratur per aliam, vel vna passio per aliam, v. g. flebile per risibile. Quartò, quando medium est causa remota latius patens; ut si probes respiracionem per animalitatem.

SECTIO VI.

Premissæ demonstrationis in genere.

Demonstrationis conditiones multiplices.

Partes demonstrationis incomplexas hætenus declaravimus, ex quibus conficiuntur propositiones complexæ conflantes proximè ipsam demonstrationem. Conditiones illarum plurimas attulit Aristoteles: primò ut sint veræ; secundò ut sint certæ: tertiò ut evidentes: quartò ut propriæ. Sed quia fundatur tota doctrina Philosophi in eo celeberrimo axioma, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, quo probantur conditiones allatæ præmissarum demonstrationis; idè ante omnia illud examinandum est; de quo vide Albertinum *sexto principio, toto*, Suarez *disp. 26. & 44. sect. 11. num. 1.*

§. I.

Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, quomodo verum.

Axiomatis explicatio.

Ico primò. Aristotelis axioma significat omnem causam esse perfectiorem effectui à se producto, tum propter independentiam, tum propter perfectionem entitativè maiorem; & est verum in omnibus causis, modo debitæ adsint conditiones.

Axiomatis tres conditiones.

Obserua, tres exigi conditiones, ut axioma hoc verum sit. Prima est, ut ea perfectio, in qua comparatur causa & effectus, sit capax intensioris, & extensionis; si enim extendatur, causa erit extensior; si intendatur, causa erit intensior quàm effectus. Defectu illius conditionis non licet dicere, *Filius est homo propter patrem: ergo pater est magis homo, quàm filius*; nam humanitas non suscipit magis, & minus. Secunda conditio est, ut ea perfectio, in qua fit comparatio, conveniat tum causæ, tum effectui; idè non valet, *Homo est ebrius propter vinum: ergo vinum est magis ebrium*. Terra est calida propter solem: ergo sol est magis calidus; quia vinum non est capax ebrietatis, & sol non est capax caloris. Tertia est, ut ea perfectio conveniat causæ primò & per se, effectui autem non aliunde conveniat, quàm per talem causam; idè non valet, *Discipulus est doctus propter magistrum: ergo magister est magis doctus*. Non valet, inquam, quia discipulus potest esse doctus aliunde, quàm à magistro. Suarez igitur loco citato, existimat, nihil aliud significari hoc axioma, quàm quod causa nobiliori modo participet perfectionem à se productam, eo quod effectus illam participet dependenter à causa, causa verò independen-

ter ab effectu: participare autem independentè aliquam perfectionem, est nobiliori modo participare. Nos cum Albertino dicimus significari præterea, quod causa non solum nobiliori modo participet perfectionem à se productam, sed etiam illam maiorem participet, & intensiorem, modò tres illæ conditiones adsint, idque in omni causarum genere, contra Hurtadum *disp. 11. sect. 3.* qui ait, *valere hoc axioma tantum in causa finali.*

Ratio autem est, quia nullus potest afferri casus, in quo verum illud non sit, modò tres illæ conditiones reperiantur: ergo debet intelligi non solum de nobiliori modo, sed de maiori perfectione. Antecedens probatur inductione.

Primò in causis vniuoecis nunquam causa producit effectum sibi æqualem in intensione, v. g. ignis nunquam producit in manu calorem suo calori æqualem: sol non producit in aère splendorem æqualem suo; ergo causa est intensius perfectior effectu. Neque dicas, ignem generare ignem sibi similem; fateor enim non valere axioma in eo casu defectu primæ conditionis; forma enim substantialis ignis non suscipit magis, & minus. Neque addas, effectum vniuoecum esse æquè perfectum ac suam causam; hoc enim distinguo: est æquè perfectus quoad essentiam, concedo; quoad gradum intensioris, nego. Sed ea de re in libris de ortu & interitu fusior erit, & opportuniore disputatio.

Secundò in causa finali valet: *Propter beatitudinem dolores sunt appetibiles: ergo beatitudo est magis appetibilis*. Non valet autem si dicas: *Homo propter beatitudinem orat: ergo beatitudo magis orat*; deest enim secunda conditio; nam orare non est perfectio, quæ convenire possit beatitudini. Neque obstat, si dicas, medium sapè appetibilius esse, quàm finem, ut si quis oret Deum, ut furetur; deest enim tertia conditio, cum effectus habeat perfectionem suam aliunde quàm à fine.

Tertiò in causa formali: *Sol est pulcher propter lucem: ergo lux est magis pulchra*. Si autem dicas: *Homo est calidus propter calorem: ergo calor est magis calidus*, non valebit defectu secundæ conditionis, quæ requirit ut eadem perfectio secundum rem, & nomen conveniat causæ, & effectui: esse autem calidum non convenit calori.

Quartò in causa materiali: *Vas lucet propter aurum: ergo aurum magis lucet*. Non valet autem si dicas: *Homo propter materiam est corruptibilis: ergo materia est magis corruptibilis*; deest enim secunda conditio, quia materiæ non convenit corruptibilitas.

Quintò. In causa efficiente: *Corpus mixtum gravitat propter terram: ergo terra magis gravitat*. Maneat ergo verum esse hoc axioma bene intellectum in omni genere causæ; ex quo non erit difficile conditiones præmissarum demonstrationis eruere.

§. II.

Quomodo præmissæ debeant esse veræ.

Ico primò. Præmissæ demonstrationis debent necessariò esse veræ.

Ratio est, quia conclusio ut deducta debet fieri, & cognosci vera per præmissas: sed præmissæ non possunt dare veritatem, quam ipsæ non habent: ergo debent esse veræ.

Confirmatur, ut conclusio formaliter sumpta sit vera, oportet ut assentiamur vnioui extremorum inter se propter vniorem illorum cum medio: sed si præmissæ sint falsæ, non possumus assentiri vnioui extremorum.

Probat.

In causa finali.

In causa formali.

In causa materiali.

In causa efficiente.

Præmissarum veritas vnde petatur. Ratio.

Confirmatio.

extremorum inter se propter unionem illorum cum medio: sed si præmissæ sint falsæ, non possumus assentiri unioni extremorum inter se propter unionem illorum cum medio; non enim illi medio uniuntur: ergo debent esse veræ.

Obiectio & eius solutio.

Neque dicas, ex falsis præmissis sequi posse veram conclusionem, ut si dicas: *Omnis lapis est substantia: omnis homo est lapis: ergo omnis homo est substantia.* Vbi minor est falsa, & conclusio vera. Respondi enim supra, ex falsis præmissis posse sequi conclusionem veram materialiter sumptam, non autem sumptam formaliter, ut ex præmissis deductam. Conclusio autem demonstrationis debet esse vera, ut deducta, non tantum materialiter sumpta; & hoc controuersia caret. Videndum superest, quomodo præmissæ debeant esse veriores conclusione.

Assertio 2. de veritate præmissarum, bipartita.

Dico secundò. Si veritas sumatur formaliter, præmissæ non sunt veriores conclusione: si autem sumatur fundamentaliter, ita ut significet infallibilitatem, præmissæ sunt veriores conclusione. Veritas sumpta formaliter est *conformitas cognitionis cum re cognita*: veritas fundamentaliter sumpta, est *necessitas & infallibilitas ipsius rei*. Primo modo negat conclusio, posse vnum esse verius alio, sed illam veritatem dicit esse indiuisibilem. Secundo autem modo sumptam veritatem asserit non consistere in indiuisibili, sed vnum posse esse verius alio fundamentaliter, id est infallibiliter, & magis necessarium; sicut fides dicitur esse verior scientiâ, id est, infallibilior; & verius esse quod Deus sit, quam quod homo existat.

Ratio primæ partis.

Ratio primæ partis est, quia conformitas conceptus cum obiecto consistit in indiuisibili: ergo nihil potest esse formaliter verius alio, sicut vnum punctum non potest dici maius alio, eo quod vtrumque sit indiuisibile. Probo antecedens. Conformitas est quædam æqualitas duorum: sed æqualitas consistit in indiuisibili: ergo conformitas consistit in indiuisibili.

Secundò, si aliqua esset causa, cur aliquid deberet esse verius alio, esset quia est perfectius: sed hoc non facit verius, quia v. g. duo palmi aurei non magis sunt æquales, quam duo palmi lignici: ergo vnum non est verius alio veritate formali.

Ratio secundæ partis.

Ratio secundæ partis est, quia præmissæ sunt magis infallibiles, & euidenter conclusionem, quæ per illas fit euidenter, & infallibilis, ut probabitur in sequentibus: ergo sunt veriores fundamentaliter, id est perfectius & infallibiliter veræ. Deinde communiter dicitur, verius esse quod Deus sit Trinus, quam quod paries sit albus, & ita de reliquis.

Obiectio 1. & eius solutio.

Obiicies primò. Potest aliqua propositio esse falsior aliâ: ergo potest esse verior. Respondeo, nego consequentiam, quia veritas est æqualitas, idcirco in indiuisibili sita est: falsitas autem, cum sit recessus, non consistit in indiuisibili; possum enim v. g. recedere magis aut minus à pariete, quamuis illum non possim tangere nisi vno modo. Pariter non nisi vno modo res est vera, quamuis possit multipliciter esse falsa.

Obiectio 2. & eius solutio.

Obiicies secundò. Potest vnus actus certior esse, & euidentior alio: ergo potest esse verior. Resp. nego consequentiam, disparitas enim est inter veritatem, quæ est æqualitas; & certitudinem, quæ est infallibilitas, quod veritas consistat in indiuisibili, infallibilitas autem, & claritas suscipiant magis & minus, ut dicam §. 4.

Obiectio 3.

Obiicies tertio. Vnus actus voluntatis potest esse melior, vel prior alio: ergo vnus actus intellectus potest esse altero verior; sicut enim veritas consistit in indiuisibili, quæ est æqualitas, & con-

formitas cum obiecto; ita bonitas consistere debet in indiuisibili, quia est conformitas cum recta ratione.

Respondeo, nego paritatem, quia bonitas est quidem conformitas rei cum recta ratione, sed includit præterea ipsam rei perfectionem; atque ita quatenus dicit solam conformitatem, consistit in indiuisibili; quatenus autem præterea includit perfectionem entitativam rei, non consistit in indiuisibili: v. g. dare centum nummos pauperi, melius est quam dare vnum nummum, quia illa bonitas non solum includit conformitatem cum recta ratione, sed etiam perfectionem intrinsecam actus, quæ in vno maior est quam in alio. At veritas nihil includit præter conformitatem cum obiecto, si sumatur formaliter, idcircoque consistit in indiuisibili.

Obiicies quartò. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis: sed conclusio vera est per præmissas: ergo præmissæ sunt magis veræ, quam conclusio.

Respondeo maiorem esse falsam, quando perfectio illa non suscipit magis & minus: veritas autem non suscipit magis & minus, sed in indiuisibili sita est; unde non valet argumentum ab axiomatico illo deductum.

§. III.

Quomodo debeant esse certæ, & necessaria.

Dico primò. Præmissæ demonstrationis debent esse certæ certitudine formali, tum essentiali, seu ex parte obiecti; tum accidentali, seu ex parte subiecti.

Obserua primò, certitudinem formalem (de qua sola hic loquimur) esse cognitionem intellectus ita veram, ut non possit esse falsa; in quo differt à certitudine obiectiua, quæ ut dicebam *scilicet*, est ipsum obiectum propter necessitatem, & infallibile; & idcirco non vocatur propriè certitudo, quod nomen soli certitudini formali propriè conuenit, illa enim est actus intellectus, in quo solo dicitur esse certitudo, sicut & veritas. Certitudo ergo formalis est duplex. Alia essentialis, quæ vocatur certitudo ex parte obiecti; alia verò accidentalis, quæ vocatur certitudo ex parte subiecti, id est ex parte intellectus. Certitudo essentialis est cognitio, cuius obiectum est necessarium. Certitudo accidentalis est firma adhesio intellectus ad aliquod obiectum sine formidine oppositi. Hanc vtramque reperiri debere in præmissis demonstrationis, clarum est. Essentialem quidem, quia præmissæ habent obiectum necessarium, ut *scilicet*, ostensum est: ergo ita sunt veræ, ut non sint falsæ. Deinde si possent esse falsæ, conclusio ex his deducta posset esse falsa. Accidentalem autem, quia præmissæ sunt ratio propter quam intellectus firmiter assentitur conclusioni sine formidine: ergo debet assentiri præmissis sine formidine. Quo posito superest ut videamus, qualem gradum certitudinis habere debeant præmissæ demonstrationis in genere. Nam, vtrum sint certiores conclusionem, dicitur sequenti paragrafo.

Obserua igitur secundò, tres ab Aristotele distingui gradus necessitatis præmissarum. Primus est, ut sint de omni: secundus, ut sint per se: tertius ut sint de prædicato vniuersalissimo, & quatenus ipsum. Quæ tria figillarim exponenda sunt. Dico secundò. Præmissæ demonstrationis debent esse de omni, non solum prioritice, sed etiam posterioritice.

Obserua propositionem de omni esse illam, cuius prædicatum

Tres gradus præmissarum.

Propositio de omni qualis sit.

prædicatum conuenit omnibus inferioribus subiectis, & semper; vt hæc propositio, *Homo est animal*, est de omni. Aristoteles sic illum explicat. Propositio de omni ea est, quæ dicitur de prædicato, quod est non in aliquo quidem, & in aliquo quidem; aut aliquando quidem, & non aliquando quidem. Requirit enim propositio de omni vniuersalitatem subiecti, & vniuersalitatem temporis; ideoque aliud est dictum de omni prioristicum, cuius prædicatum conuenit omnibus inferioribus subiectis, sed non semper, id est, quod habet vniuersalitatem subiecti, sed non temporis. Vocatur prioristicum, quia de illo agitur in libris Priorum. Dictum de omni posterioristicum illud est, quod conuenit omni subiecto, & semper, vel certe vltimum, v. g. hominem habere quinque digitos, canescere in senectute, est dictum de omni posterioristicum, quia quamuis non conueniat semper omni homini, vltimum tamen conuenit. Vocatur posterioristicum hoc dictum de omni, quia de illo agitur in libris Posteriorum.

Neque dicas: Illa, quæ dicuntur de Deo, non sunt vniuersalia; & tamen sunt demonstratiua. Respondeo enim ex Caetano, duobus modis posse aliquid esse de omni. Primò posituè si conueniat pluribus inferioribus; & hoc modo diuina prædicata non sunt de omni. Secundò negatiuè, cum nihil potest sumi sub tali subiecto, de quo prædicatum non dicatur. Prædicata de Deo non sunt de omni posituè, sed solum negatiuè; quod sufficit ad demonstrationem.

Ratio ergo conclusionis est, quia propositiones demonstratiuæ debent esse necessariae: sed non possunt esse necessariae, nisi prædicatum sit de omni posterioristice, id est, nisi conueniat omni & semper: ergo prædicatum debet esse de omni posterioristice, & consequenter ipsa præmissa.

Dico tertio. Ad demonstrationem simpliciter loquendo non est necessarium vt propositiones sint in aliquo modo dicendi per se, sed ad perfectissimas necessarium est.

Obserua, *dici per se*, aliquando significare idem ac *precisè*; aliquando idem ac *non per aliud*, aliquando modum producendi oppositum ei, quod est esse per accidens, & in eo sensu usurpatur hoc loco *dici per se*.

Nam propositio *per se*, illa dicitur, cuius prædicatum habet nexum essentialem cum subiecto, non quod sit de essentia subiecti, sed quod subiectum ex vi naturæ suæ illud prædicatum exigit. Plus est ergo propositionem esse *per se*, quam esse de omni; estque maior gradus necessitatis: v. g. hæc propositio, *Coruus est niger*, est de omni; sed non est *per se*, quia coruus non exigit nigredinem ratione suæ naturæ. Hæc verò, *Coruus est animal*, est de omni, & *per se*. Huiusmodi propositiones *per se* quatuor ex Aristotele habent modos, quos communiter dicimus modos dicendi per se.

Primus est quando prædicatum inest subiecto, & est de illius essentia, ac definitione. Hoc accidit quando prædicatum est vel definitio subiecti, vel pars definitionis, vt, *Homo est animal rationale*. Illa verò, *Omne risibile est rationale*, non est in primo modo dicendi per se propriè, quia prædicatum illud, *rationale*, non inest subiecto; si tamen velis hanc conditionem excludere, erit reuerà in primo modo dicendi per se. Qui modus reperitur quidem in demonstratione potissima, quæ probat primam passionem de subiecto per differentiam constitutionis, sed non est necessarius ad quamcumque demonstrationem.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A Secundus modus dicendi per se est, cum subiectum est de definitione prædicati, siue quando passio prædicatur de subiecto; subiectum enim ingreditur definitionem proprietatis, vt, *Homo est risibilis*; oportet autem vt prædicatum sit accidens proprium conueniens soli. Cum verò dicitur, *Petrus est risibilis*; non est *per se*, quia Petrus non est de definitione risibilis: hic modus non est necessarius ad omnem demonstrationem, sed ad eam tantum, quæ demonstrat secundas passiones de subiecto, vt cum esse admiratiuum probatur per discursuum.

Tertius Tertius modus dicendi per se est cum de primis, vel secundis substantiis prædicatur existentia, vt cum dicitur, *Homo est*; quæ propositiones ideò dicuntur per se, quia subiectum habet per se tale prædicatum, scilicet existentiam; nam substantiæ per se subsistunt, non autem in alio: accidentia sola existunt in alio. Hic modus dicendi per se, est ineptus ad demonstrationem de rebus creatis, quibus existentia conuenit accidentariò; valere tamen potest quando demonstrantur passiones ipsius substantiæ existentis.

Quartus Quartus modus dicendi per se, est quando prædicatum est causa finalis, vel efficiens subiecti, sed necessariò coniuncta, vt, *Iugulatus interit*; interitus enim euidenter inferitur ex iugulatione.

Ex quibus omnibus satis patet, cur dixerim, præmissas cuiusvis demonstrationis non debere esse in vltimo modo dicendi per se; nam multæ possunt offerri demonstrationes, quarum præmissæ non sint in vltimo ex his modis, quos assignauimus, non tantum à posteriori, sed etiam à priori; hæc enim est vera demonstratio: *Omne risibile est rationale: Petrus est rationalis: ergo*, &c. Et tamen, vt dixi, maior non est in vltimo modo dicendi per se.

C Quod verò in demonstratione perfectissima præmissæ debeant esse in aliquo modo dicendi per se, clarum est; in ea enim prima passio probatur de subiecto per propriam subiecti essentiam; ideoque maior propositio est in secundo modo dicendi per se, minor autem in primo; vt, *Omne rationale est discursuum: omnis homo est rationalis: ergo*, &c.

Dico quartò. Non est necessarium ad quamlibet demonstrationem, vt præmissæ sint de prædicato vniuersalissimo, & secundum quod ipsum; sed ad solam demonstrationem potissimam hoc requiritur.

Obserua, propositionem de prædicato vniuersalissimo definiri ab Aristotele, *Cuius prædicatum est de omni per se, & quatenus ipsum*; id est propositio de prædicato vniuersalissimo illa est, cuius prædicatum nec excedit subiectum, nec ab eo exceditur, sed est reciprocum, vt illa propositio: *Homo est rationalis*, est de prædicato vniuersalissimo, quia rationale nec excedit hominem, nec ab eo exceditur; sed ista, *Homo est animal*, non est de prædicato vniuersalissimo, quia animal latius patet, quam homo. Hoc prædicatum vocatur, *quatenus ipsum*, quia conuenit subiecto quatenus tale est, siue quatenus est talis speciei. Vocatur etiam prædicatum vniuersalissimum, quia ita conuenit tali subiecto, vt non possit conuenire vlli, nisi ratione talis subiecti. Subiectum autem harum propositionum vocatur subiectum primum, quia eo primum posito ponitur prædicatum; & eo primum sublato, tollitur; ideoque prædicatum hoc debet esse vel definitio subiecti, vel differentia constitutiua, vel proprietas specifica, siue reciproca.

H Ratio

Aliquid potest esse de omni duobus modis.

Obserua, dici per se, quid significet.

Propositiones per se, quatuor habent modos.

Secundus

Tertius

Quartus

Conclusio

Propositio de prædicato vniuersalissimo quid sit.

Ratio.

Ratio ergo conclusionis est, quia multæ demonstrationes fiunt, in quibus non reperitur definitio subiecti, vel differentia constitutiva, nec proprietas specifica: v.g. si dicam, *Omne animal sentit: omnis homo est animal: ergo omnis homo sentit.* Ergo non omnis demonstratio exigit præmissas de prædicato reciproco, sed sola demonstratio potissima, cuius medium est differentia constitutiva subiecti, & maius extremum proprietates reciproca.

S. I V.

Quomodo debeant esse evidentes.

Conclusio.

Dico primò. Præmissæ demonstrationis, saltem purè naturalis, id est distinctæ à Theologica, debent esse non solum certæ, sed etiam evidentes. Ita Philosophus sapè, qui ad scientiam exigit *evidentiam, & certitudinem.* Refragantur nonnulli Theologi asserentes ad rationem scientiæ sufficere certitudinem sine evidentia; Theologiam enim suam dicunt veram esse scientiam, quamvis sit inevidens.

Evidentia quid sit.

Obserua, evidentiam esse veritatem alicuius rei, cui non potest intellectus dissentiri. Potest autem dici duplex: altera obiectiva, altera formalis. Evidentia obiectiva est obiectum, quod ita ostenditur intellectui, ut non possit intellectus ei dissentiri. Formalis est actus intellectus circa obiectum, cui dissentiri non potest. Distinguitur ergo evidentia à certitudine, quod certitudo sit actus ita verus, ut nequeat esse falsus; evidentia autem sit actus circa obiectum, cui non potest intellectus dissentiri. In fide diuina reperitur certitudo sine evidentia, vnde concludimus distingui evidentiam à certitudine, quod Philosopho fuit ignotum: nullus autem est actus evidens, qui non sit etiam certus; imò nullus actus, aut habitus naturalis potest esse certus, qui non sit etiam evidens. Reliqua de certitudine, & evidentia dicentur alibi.

Probatur.

Ratio conclusionis est, quia conclusio scientifica non solum debet esse certa, sed etiam evidens, alioqui non differret à fide, si solum haberet certitudinem: ergo præmissæ debent esse evidentes, per quas conclusio est evidens. Præterea nullus actus naturalis potest esse certus, quin sit etiam evidens, ut probabo in animasticis: ergo præmissæ debent esse certæ: ergo debent etiam esse evidentes.

Obiectio, eiusque solutio.

Neque obicias, Theologiam esse scientiam, & tamen esse inevidentem. Nego enim illam esse propriè loquendo scientiam, ut docet Gillius, & alij graues Theologi; duas enim conditiones ad veram scientiam exigit Aristoteles, certitudinem & evidentiam. Magis ergo propriè ad sapientiam Theologia pertinet, quam ad scientiam; vel potius est habitus distinctus à quinque intellectualibus enumeratis ab Aristotele 6. *Ethic.*

Conclusio 2.

Dico secundò. Præmissæ demonstrationis debent esse priores, & notiores conclusionem, non secundum naturam, sed saltem secundum nos; id est evidentes, & certiores, saltem ex parte subiecti. Contra Hurtadum *disp. vnde cima, sect. tertia.*

Notius aliquid alio duobus modis.

Obserua duobus modis aliquid dici notius alio. Primò secundum naturam: secundò nobis. Notius secundum naturam vocatur illud, à quo aliud pender; & sic omnis causa est certior secundum naturam, quam effectus. Notius nobis vocatur illud, quod est vicinius sensibus, quod con-

tingere potest dupliciter; vel enim est notius nobis ratione modi nostri intelligendi, vel ratione diligentiae adhibite in eo percipiendò.

Præmissæ cuiusvis demonstrationis non sunt semper notiores secundum naturam, quia non semper continent causam conclusionis. Imò neque semper sunt notiores nobis primo modo, sed semper sunt notiores nobis, saltem secundo modo.

Ratio est, quia quoties adsunt necessariae con-

ditiones, verum est Aristotelicum axioma, *Propter quod, &c.* sed hic adsunt omnes condiciones requisitæ; nam evidentia suscipit magis, & minus; conuenit tum præmissis, tum conclusioni; neque conclusioni ut conclusio est aliunde conuenit quam per præmissas: ergo præmissæ debent esse evidentes, quam conclusio. Deinde discursus est progressus à notis ad ignota, alioqui nullam ingenerat cognitionem: ergo præmissæ notæ notiores sunt, quam conclusio ignota. Denique quod est notum per se, & ex suis terminis, est notius eo quod est notum per aliud: sed præmissæ demonstrationis ut sic, sunt per se notæ; conclusio autem ut sic, est nota per aliud: ergo præmissæ sunt notiores conclusionem.

Obiicies primò. Si conclusio est semper minus nota, quam præmissæ, sequitur deueniri posse ad aliquam conclusionem quæ careat evidentia, quod absurdum est. Probo sequelam, si multæ conclusiones seriatim ex iisdem principiis deducantur, deuenietur tandem ad aliquam, in qua nulla erit evidentia; finitum enim per detractionem tandem exhauritur: sed hæc evidentia est finita: ergo si semper minuatur, finietur tandem.

Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem distingo maiorem: finitum per detractionem tandem exhauritur, per detractionem graduum, concedo; per detractionem speciei quæ mutetur in aliam, nego. Quomodo enim inter quolibet duas species inæqualis perfectionis, v.g. inter hominem & equum, possunt dari infinitæ species animalium perfectiores equo, & imperfectiores homine, quia illarum perfectio non crescit vel decrescit in gradu, sed in specie essentiali. Eodem modo diuersa evidentia conclusionum crescit, vel decrescit non gradualiter, sed essentialiter; idèd possunt dari infinitæ conclusiones minus notæ, quam quælibet designabilis; & tamen omnes erunt evidentes.

Obiicies secundò. Actus, quo credo Deum esse Trinum, non est minus certus, quam is, quo credo reuelationem. Atqui reuelatio est causa credendi Deum Trinum: ergo causa assentiendi non est notior, quam articulus, cui assentimur.

Respondeo, distingo maiorem. Actus, quo credo Deum Trinum, non est minus certus ex parte subiecti, quam actus, quo credo reuelationem, nego maiorem; non est minus certus ex parte obiecti, concedo. Præterea nego paritatem inter actum fidei, & discursum, quia eodem actu indiuisibili, quo credo articulum reuelatum, credo reuelationem; fides enim discursiva non est, præmissæ verò non cognoscuntur eodem actu, quo conclusio cognoscitur; idèd non est paritas inter demonstrationem, & actum fidei.

Obiicies tertio. In conclusione cognoscimus prædicatum & subiectum esse idem, quia sunt idem cum medio: ergo tam certi sumus de conclusione, quam de præmissis; quia quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.

Confirmatur. Nam eadè est vnio, per quam prædicatum

Probatur.

Obiectio, & responsio.

Obiectio 1.

Responsio.

Obiectio 3.

Disp. V. Quæst. vnic. de Demonstratione. 87

catur & subiectum inter se vniuntur in conclusione, & per quam in præmissis vniuntur cum medio: ergo præmissæ non sunt veriores conclusione.

Responsio.

Respondeo, distinguo consequentiam: tam certi sumus certitudine essentiali, concedo; tam certi sumus certitudine accidentaliter, siue ex parte intellectus, nego. Et ad confirmationem eodem modo distinguitur consequentia: præmissæ non sunt notiores essentialiter, concedo; accidentaliter, nego.

Neque dicas: conclusio est essentialiter certa propter præmissas: ergo præmissæ debent esse certiores essentialiter. Nego enim antecedens; nam præmissæ non faciunt conclusionem certam ex parte obiecti, sed faciunt tantum illam certam ex parte intellectus, qui propter præmissas assentitur conclusioni. Neque propterea sequitur, præmissas non debere certas esse essentialiter, quia quamuis conclusio non sit certa essentialiter per præmissas, sed tantum ut deducta, & accidentaliter, non potest tamen deduci ut certa, nisi præmissæ sint certæ.

Obiectio 4.

Obiicit quartò. Existentia Dei est quid notius, quam effecta, per quæ probatur: ergo præmissæ non sunt notiores conclusione.

Responsio:

Sed facile distinguitur antecedens: existentia enim Dei est notior secundum naturam, quam effectus; sed non est notior nobis: effectus enim sunt viciniore sensibus. Hæc propositio, *Christus est risibilis*, propterea est de fide, certior est quam hæc propositio purè naturalis: *Homo est risibilis*; sed propterea est deducta & naturalis, non est notior.

S. V.

Quomodo debeant esse proprie.

Præmissæ quando sunt proprie, & quando non.

Dupliciter præmissæ demonstrationis intelligi possunt non esse proprie. Primò si sint alienæ, id est si non spectent villo modo ad scientiam, cuius est demonstratio. Secundò si sint communes pluribus scientiis, id est si spectent quidem ad illam scientiam, sed ad alias etiam spectent.

Assertio probatur.

Certum est, præmissas non debere esse alienas, ut ostendit Philosophus *cap. 6.*, quia non potest scientia egredi extra totum suum obiectum: egrederetur autem si usurparet præmissas nullo modo ad se spectantes. Deinde illæ præmissæ omnino alienæ à tota scientia, essent etiam alienæ à conclusione, sique nullo modo illam inferrent. Difficultas ergo restat solum, utrum præmissæ demonstrationis possint esse propositiones pluribus scientiis communes.

Conclusio.

Dico primò. Prima principia communissima virtualiter in omni demonstratione reperiuntur.

Nomine principij quid intelligendum.

Obserua primò, nomine principij, significari propositionem quæ à priori probari non potest, sed ex sola terminorum explicatione cognoscitur sine villo discursu, ut, *Omne sonum est maius sua parte*: *Impossibile est aliquid simul esse, & non esse*: *Quodlibet est, & non est*. Hæc enim lumine naturali aded nota sunt, ut statim ac cognosco quid significant illæ voces, *totum*, & *pars*, non possum non assentiri. Vtrum autem aliquando principia probentur per discursum, disputabitur cum agemus de habitu principiorum, quando de habitibus.

Duplex generis principiorum.

Obserua secundò, duo esse genera principiorum; alia enim sunt principia generalia, & communissima, quæ vocantur dignitates, & axiomata; & sunt ea quæ statim cuilibet apparent, ut, *Quodlibet est, vel non est*. Alia sunt principia propria scientiarum, ex quibus eruantur conclusiones illarum

R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

A propria, ut in Logica principium est, *Omnis definitio constat ex genere, & differentia*. In Physica, *Omne corpus naturale est mobile*. Hæc principia vocantur suppositiones, siue propositiones, quia illa principia in his scientiis non demonstrantur: vtrum verò possint in aliis scientiis demonstrari, alibi disputabitur.

Ratio ergo, cur principia illa communissima, saltem plurima reperiuntur virtualiter in omni demonstratione, est quia veritas illatua consequentia tota in illis fundatur.

Dico secundò. Principia communissima possunt esse præmissæ demonstrationis à posteriori, non autem demonstrationis à priori. Videtur esse contra Aristotelem *cap. 7. & 8.* vbi fuse docet, præmissas demonstrationis esse debere proprias; sed ille loquutus solum est de demonstratione potissima, & à priori; non autem de demonstratione à posteriori.

Ratio est, quia istæ sunt veræ demonstrationes: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: *Quantitas A, & B, sunt æquales vni tertio: ergo sunt æquales inter se*. Item: *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*: ab istis duabus quantitatibus æqualia demuntur: ergo remanent æquales. Quæ demonstrationes sunt à posteriori, quia medium non est causa, sed signum.

Dico tertio. Principia pluribus scientiis communia possunt esse præmissæ demonstrationis, etiam à priori.

Ratio est, quia conclusio Theologica, v.g. quod *Christus sit risibilis*, potest probari per vnā præmissam physicam, quod *homo sit risibilis*. Chirurgus item probat vulnera rotunda curari difficilius per hanc præmissam geometricam: *Partes ei cuius magis distat à centro, quam partes alterius figure, addit enim Chirurgus: sed quæ magis distat, difficilius curantur: ergo vulnera rotunda difficilius curantur*.

SECTIO VII.

De præmissis demonstrationis à priori.

Praeter allatas condiciones ad omnem omnino demonstrationem necessariò requisitas, aliquid aliud exigit demonstratio propter quid, præsertim potissima; quod exponendum hoc loco est, vtrum scilicet propositiones, ex quibus constat, debeant esse per se notæ, immediatæ, primæ, indemonstrabiles. Quæ omnia esse synonyma mox videbis.

Dico primò. Præmissæ demonstrationis propter quid debent esse aliquo modo immediatæ, saltem virtualiter. In demonstratione autem potissima propositiones sunt immediatæ simpliciter, id est primæ, & indemonstrabiles.

Obserua primò, propositionem immediatam vocari eam quæ caret medio per quod probetur à priori, ut, *Deus existit*, non potest probari, quia nullam habet causam suæ existentie. Bene autem aduertit Gillius *lib. 1. tract. 8. cap. 2.* Propositionem immediatam vocari propositionem obiectiuam, non propositionem formalem.

Obserua secundò, propositionem duobus modis esse posse immediatam: primò simpliciter, siue secundum se: secundò secundum quid, seu respectu conclusionis. Simpliciter immediata illa est, quæ nullo modo potest probari à priori, id est, quæ nulla est prior. Et hoc contingit quoties prædicatur est de essentiali subiecto, id est, vel definitio, vel differentia constitutiva, ut, *Homo est rationalis*, & ided vocatur prima, quia scilicet non datur prius, per quod demonstretur.

H 2 Vocatur

Assertio secunda bipartita.

Assertio tertia affirmans.

Assertio bipartita.

Propositio immediata quid sit.

Propositio duobus modis potest esse immediata. Propositio immediata secundum se quid sit.